

cutoribus a domino papa fuerat commissa, nos ac subditos nostros compellat ad observationem firmam et stabilem omnium predictorum. Ut igitur hec inter nos et . . . Magistrum ac fratres domus Templi firmata pacis compositio, ac eisdem concessa libertatis donatio stabilitate perpetua irrevocabiliter perseveret, nec aliquibus successorum nostrorum temporibus valeat irritari, presenti eam pagina in notitiam deduci posterorum, et sigili nostri Regia facimus impressionis imagine communiri. Datum per manum Pascasii Agriensis Prepositi et aule nostre Cancellarii. Anno dominice Incarnationis MCCXXXI. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Reate VIII. Idus Iulii Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Ex Reg. orig. An. V. ep. 94. — Theiner. Monumenta vetera Hung. Romae 1859. T. I. p. 97.

XLV.

Anno 1231.

Colomanus, totius Slavoniae Dux, hospitibus ad castellum Walkow in inferiori Slavonia incolentibus immunitates quasdam regia potestate confert.

Colomanus, Dei gratia rex et dux totius Slavoniae, salutem et omne bonum. Ne ea, quae aguntur, in tempore labantur cum eodem, prudentum stabilivit providentia, litterarum testimonio roborari. Ad universorum igitur volumus pervenire notitiam, quod nos Hospitibus juxta Castrum Walkow commorantibus, videlicet Teutonicis, Saxonibus, Hungaris et Sclavis, consilio et consensu omnium Jobagionum nostrorum, libertatem talem constituimus, ut omnem causam inter ipsos ortam, praeter effusionem sanguinis, major villae eorundem, quem ipsimet exposuerint, iudicare tenetur. Effusionem tamen sanguinis non per se, sed per Janitorem Castri possit iudicare, cum quo iudicium habeat commune. Statuimus etiam, quod de qualibet porta annuatim dimidium fertonem, transactis in novitate tribus annis dare teneantur; ita tamen, quod in festo S. Georgii tria pondera, in secundo festo S. Martini tria pondera persolverent. Statutum est eisdem, quod si quis sine heredibus ex ipsis decedere contigerit, pecuniam suam cuicunque vellet, possit disponere. Statuentes etiam eisdem: quod nullus absque serie iudicii de villa eorum ligatum aut vinctum possit quempiam extrahere. Et insuper ne aliquo indigeant, terram castri ejusdem nomine T. ad habitandum dandam ipsis contulimus integraliter, cum sylva terrae ejusdem nomine T. de qua domos extruendas, et curias praeparandas, liberum eis permisimus arbitrium; quibus etiam Danubium et fluvium Walkow piscandos libere permisimus. Statuimus etiam eisdem, quod si quis vult, libere veniat et libere, cum voluerit, omnibus rebus venditis et domibus recedat. Et ut haec talis a nobis facta dispositio in